

ANALECTA IN AETNAM

13 <cum> ipse suo flueret Bacchus pede mellaque lentis |
penderent foliis et pingui Pallas olivae, | secretos amnis ageret tum
gratia ruris: pendendi verbum ne cum dativo iungatur aut *oliva*
 scribendum aut zeugma statuendum erit huius fere generis: cum
 mella foliis penderent et oleae Pallas <inhaereret>. ceterum
 suspicari licet unde poeta Bacchum suo pede fluentem adsciverit:
 εἰρωνικῶς nimirum abutitur artificio Maniliano V 238 sqq.: *et*
te Bacche tuas nubentem iunget ad ulmos | disponetve iugis imi-
tatus fronte choreas | robore vel proprio fidetem in brachia ducet |
teque tibi credet semperque a matre resectum | adiunget calamis . . .
secretos amnis bene Sudhaus interpretatur 'Wunderströme' coll.
 Ov. M. I 110 aliisque. poterat afferre Quint. I 1, 35 *interpreta-*
tionem linguae secretioris quas Graeci γλώσσας vocant IX 3, 5
secretae <figurae> et extra vulgarem usum positae Plin. N. H.
 praef. 17 *secretum materiae. secreti* dicuntur amnes utpote qui
 vulgares non sint immo peractis Saturni temporibus incogniti at-
 que adeo inauditi. *tum* quod legitur in v. 15 non video cur
 improbetur: revocat animum nostrum ad aurea saecula prius
 memorata: 'ea dico tempora cum gratia ruris secretos amnis
 agebat'; sic Lucr. V 908 *aurea tum dicat per terras flumina*
vulgo | fluxisse . . . Iuv. XIII 40 tunc cum virguncula Iuno | et
privatus adhuc Idaeis Iuppiter antris. flumina tum cum vulgo
 fluebant secreta non erant.

58 *discordes comitum simul agmine venti*: perraro legitur
simul cum ablativo nominis omissa praepositione coniunctum. eno-
 tavi Claud. Ruf. II 120 *Xeræxen toto simul orbe secutus . . . exercitus.*

75 *vatibus ingenium est; hinc audit nobile carmen*: Claud.
 Prob. et Olybr. 61 *solique merentur | victores audire Probi . . .*
 igitur non erat cur locutionem addubitent.

76 *vates | sub terris nigros viderunt carmine manes*: irridentur
 vates divino quasi numine instincti qualem exhibet Claud. R. Pr. I 7

iam mihi cernuntur, trepidis delubra moveri | sedibus . . . sed in v. 77 viris doctis nec *viderunt* satis placuit nec ablativum ferre voluerunt, immerito nisi fallor. quidni vates *viderint* inferos *carmine* h. e. *canentes* (79) cum sublimis Astronomicon poeta per totum mundum *carmine* non profecto tamquam curru vectus sed cantans volitarit (II 765), idem grande opus incohaturus divinas artis et conscia fati sidera *carmine* deducturum sese mundo promittat? huc cadit Tibullianum illud: *carmine purpureast Nisi coma: carmina ni sint | ex humero Pelopis non nituisset ebur* (I 4, 63). adde Propertium Romana moenia *disponere versu* conaturum (IV 1, 57). aliud voluit Claud. Stil. II 171 cum Amphionem *meditantem carmine muros* fingeret.

150 *nec tamen in rigidos exit contenta canales | vis animae flammaeve . . .* de verbis *exit contenta* aliter iudico atque editores. neque enim agi videtur de spiritus intentione: *contentum* dicitur quidquid angustis est finibus circumscriptum (eingeschränkt). hoc opinor in animo habuit poeta vim animae flammaeve per intervenia fistulosa terrae non ferri velut aquam fistulis plumbeis aut tubulis fictilibus aut rivis per canales structiles ductam (Vitr. VIII 6, 1). aqua fistulis seu canalibus contenta certo cursu ducitur: anima vel flamma per viscera terrae huc illuc discurrentes ibi exeunt ubi cedunt proxima: *exit* audi *foras* ut 329 *<spiritus> exilit atque furens tota vomit, igneus Aetna. continendi* verbum eodem sensu posuit Vitr. VIII 6, 9 *aqua immittatur et in geniculis aut versuris alligationibus aut pondere saburra contineatur.*

162 *namque illis quaecumque vacant in hiatibus omnis | et sese introitu solvunt adituque patenti | conceptae languent vires . . . et introitu suspicor* idem valere quod 167 *in ipso limine.* omnes enim vires quaecumque illis in hiatibus vacant i. e. vacuae sunt angustiarum vinculis etiam introitu vel in ipso introitu patularum faucium tenerascunt; quae simulatque vastae profundo voraginis conceptae sunt languent i. e. immotae iacent ut mare caniculae diebus (Man. V 211 *languetque suis Neptunus in undis*). languidum fit quidquid solvitur: Ov. Her. XIII 114 *languida laetitia solvar ab ipsa mea. aditus crateres in spatiosum ambitum patentes* intellego; 181 *hinc vasti terrent aditus* 195 *arcent aditus* 159 *ora | quod patula in promptu cernis vastosque recessus* 337 *vastosque receptus.*

223 *pigra laboratis respondent praemia curis* G. haec olim germanice reddidi: der Lohn für die aufgewendete Mühe kommt zwar nicht gleich, aber er kommt (Philol. LVI 109). profero

Verg. Ecl. I 1, 27 *libertas quae sera tamen respexit inertem* Prop. III 4, 5 *sera sed Ausoniis veniet provincia virgis* Anth. Pal. VII 349 ὄψ' ἐ μέν, ἀλλ' ἔθανον. locorum in verbo vis posita: verbali forma quo debet sono enuntiata sensus palam fit. qui facilius percipitur ubi verbum praecedit: Ov. M. XIII 402 *imposita est sero tandem manus ultima bello*. quae sunt in libris *digna laborantis respondent praemia curis* interpolavit nescio quis qui gravissimam poetae brevitatem perperam intellexeret.

similem brevilloquentiam v. 619 prae se fert *hic velox nimio properat sub pondere pauper* quae sic depravaverunt ut *minimo* scriberent. sane quidem non possidet homo pauper nisi frivola (Iuv. III 198), sed in tanto discrimine periculi vel levissimum pondus *nimium* est. abiectis igitur omnibus rebus quae morae aliquid inferant pernicitati fuga salutem petere oportebat.

244 *Saturni quae stella tenax quae Martia pugnax*. Saturni tardum esse sidus veteres consentiunt: Cic. N. D. II 20, 52 *Saturni stella . . . triginta fere annis cursum suum conficit* Sen. N. Q. VII 29, 1 *ex omnibus iter suum lentissime efficit* Censor. p. 58, 13 H. *per triginta annos signiferum pertransit* Claud. Stil. II 438 *velox semita Lunae | pigraque Saturni*. his testimoniis fretus Sudhaus: der langsam rückende Stern des Saturn. at Saturni tarditas parum apte pugnacitati Martis congruit. accedit quod cetera quae his versibus memorantur hominum usum imprimis nautarum spectant. nautis Helice servanda, his Lucifer Hesperus Bootes (Claud. Bell. Gild. I 501 Stil. I 123 R. Pr. III 225), his ne cometes quidem nullius momenti quem significare tempestatem et ventorum intemperantiam atque imbrium Aristoteles auctor fuerit (Sen. N. Q. VII 28, 1): *non illum navita tuto, | non impune vident populi, sed crine minaci | nuntiat aut ratibus ventos aut urbibus hostes* (Claud. R. Pr. I 234). versu denique 245 navigationis necessitates diserte indicantur. etiam Martia stella habet aliquam potestatem navigaturis molestam *ventos denuntians incertaque fulmina* (Lucan. X 206 coll. Plin. N. H. II 139), *rapax* est Propertio (V 1, 83: ἀναπάξασα θύελλα), omnino triste sidus nec fausti cuiquam ominis: Ov. Ib. 213 *te fera nec quicquam placidum spondentia Martis | sidera presserunt falciferique senis*. Martia stella ut est deo consecrata pugnacissimo et ipsa non amat tantum pugnax (Ἰρασύς Ἄρης et stella dicitur) verum etiam concitat, pugnax dico humano generi cum tempestatibus subeundas. nec minus Saturnus *impius* (Hor. C. II 17, 22) *triste sidus* (Iuv. VI 569) putabatur: *grave Saturni*

sidus in omne caput (Prop. IV 1, 84 coll. Ov. Ib. 213). *nautis eadem molestias afferebat cum esset frigida stella* (Verg. G. I 336 Lucan. X 205 Vitr. IX 1, 16). *brumale sidus illis temporibus navigationem impediabat; tenax autem saepius ita positum legitur ut desit genetivus: simul audimus quid teneatur. ut pauca seligam: tenax est homo qui nummos tenet arca conditos, equus si suam retinet contumaciam, Ditis regnum unde negent redire quemquam, caenum quod corpus illapsum retentet, gemma quando ceram non remittit, lotos quia prohibetur patria quisquis ea vescitur — Saturni denique stella quippe cum naves in portu detineat. ut stella sic dies Saturni tenax fuit Tibullo teste: aut ego sum causatus aves aut omina dira | Saturnive sacram me tenuisse diem* (I 3, 17).

291 quae sunt in libris *forte flexere* nec facile perspicuntur nec metricae consuetudini satisfaciunt. cum in v. 290 austri mentio fiat suo iure Birt (Philol. LVII 630) postulat aliquid quod austro respondeat novumque subiectum elicit *boreae* ut haec continuetur oratio: *sive introrsus agunt nubes et nubilus auster | seu boreae flexere caput tergoque feruntur*; ad mendum cf. 170 *furtim O euri G. aquilones tanta vi montem infestant* (286 sqq.) ut caput eius quasi flectatur — ne moleste feramus τὸ ὑπερβολικώτερον τοῦ σχήματος similibus aliorum commentis monemur. — considera quaeso quantum Stilichoni suo Claudianus imputet (I 126): *nivibusque profundum | scandeat cristatus Athon lateque corusco | curvatas glacie silvas umbone ruebat*; apud eundem R. Pr. II praef. 20 *excussit gelidas pronior Ossa nives* i. e. ipse mons flectit caput ut Orphei carmina melius auribus excipiat; Lucan. I 545 *ora ferox Siculae laxavit Mulciber Aetnae | nec tulit in caelum flammam sed vertice prono | ignis in Hesperium cecidit latus . . .* iterum pronum montis verticem patimur. quae restant verba *tergoque feruntur* eam ut opinor regionem indicant ex qua hiberni flatus adspirant. etenim nescio num *tergum* montis Romanis totam montis superficiem ut aequoris fluminis agri significaverit; pluralis numerus exstat apud Liv. XXV 15, 12 *ut ad terga collis ab equite suo insessi hostem incautum pertraheret*: hic *aversa collis* (Rückseite) intellego. quod utut est malim *tergum* interpretari montis latus septentrionale quod est aversum seu *tergum* ab austro spectantibus. ita singula singulis respondent: *auster* a meridie montem infestat, *aquilones* a contraria parte adflant qui incursu vehementissimo caput montis flexerunt et in septentrionali eius latere *feruntur* i. e. impetu rapiuntur

effuso vel ut ait poeta *turbant. caput monti* et Verg. A. IV 249 tribuit.

328 *donec confluvio veluti siphonibus actus | exilit*: Sen. N. Q. II 16 *in modum siphonis* Col. III 10 *veluti per siphonem* IX 14 *quasi per siphonem* Plin. N. H. II 166 *siphonum modo* XXXII 12 *veluti siphonibus*; improprie Iuv. VI 310 *effigiemque deae longis siphonibus implent*¹. haec comparatio a Ctesibica machina (Vitr. X 7; cf. Isid. Orig. XX 6, 9) petita scriptoribus argenteae quae dicitur aetatis videtur arrisise. meminimus Augustum incendiis exstinguendis curam impendisse: Strab. p. 235 *πρὸς μὲν τὰς ἐμπρήσεις συντάξας στρατιωτικὸν ἐκ τῶν ἀπελευθεριωτῶν τὸ βοηθήσον . . .* quod illi siphone comparato luculentum reddunt id Ovidio bellica machina conficitur M. XIV 183 *veluti tormenti viribus acta . . . saxa* cf. Aetn. 555.

360 *ille impetus ignis | et montis partes atra subvectat arena: montis partes saxa sunt*: Sen. Phoen. 71 *hic rapax torrens cadit | partesque lapsi montis exesas rotat* Sil. IX 466 *partem | vicini montis . . . iacit* Anth. Lat. II 1 c. 279, 12 B. *haut partem exiguam montis de saxo metallis avulso. haec fragmina ex ipsis montis visceribus egeruntur*: Aetn. 200 *volvuntur ab imo | fundamenta* Verg. A. III 575 *interdum scopulos avolsaque viscera montis | erigit eructans liquefactaque saxa² sub auras | cum gemitu glomerat fundoque exaestuat imo* ad quae Servius: 'viscera montis' id est 'partes'. Lucan. VI 294 *cum tota cavernas | egerit . . . Aetna* Val. Fl. II 30 *trux ille <Typhoeus> eiecat adesi | fundamenta iugi* Claud. R. Pr. I 171 *quae tanta cavernas | vis glomerat?* nec aliud spectant Sen. Epp. 79, 2 *montem qui devoretur cotidie* Petr. 122, 135 *Aetna voratur | ignibus insolitis* Pacian. Paraen. c. 11 *<Aetna et Vesuvius> dissiliunt devorantur* Claud. R. Pr. I 165 *damnisque suis incendia nutrit* Cassiod. Var. IV 50, 6 *mōns . . . qui erogationibus tantis expenditur. hinc cum de montis partibus sive saxis funditus eiectatis conveniat superest*

¹ Patricius martyr (Act. primor. martyr. ed. Ruinart ed. II p. 555) apud proconsulem talia locutus perhibetur: *quae supra terram est aqua coacta in unum appellationem marium, quae vero infra abyssorum suscepit; ex quibus ad generis humani usus in terram velut siphones quidam emittuntur et scaturiunt; suppeditat testimonium* Humboldt, K. IV 326, 45.

² hunc locum imitatus Sil. XIV 63 *liquefacta . . . saxa* quae legebat in suam rem ita convertit ut *liquefactis saxa cavernis* effingeret. haec est ὀλλοίωσις.

ut arenae naturam explicemus. constat arenas nihil esse nisi saxorum contusorum atque dilapsorum minutissimas reliquias (cf. Neumayr, Erdgesch. I 170). nihil igitur differt a montis partibus arena vel ut idem aliis verbis illustrem arenarum nimbi (199) sicut saxa partes montis sunt funditus exhaustae. soluta oratione liceat ambiguum sermonis dilucidum reddere: 'cum atra arena subvectatur montis partes subvectantur' vel 'montis partes in¹ atra arena subvectantur' vel 'atra arena subvectata montis partes subvectantur': Stücke des Berges werden als schwarzer Sand ausgeworfen. similis videtur ablativus in v. 591 *extinctosque suo Phrygas Hectore* i. e. Phrygas extinctos Hectore suo extincto vel Phrygas in Hectore suo extinctos. quem ablativum instrumenti nomines an ut barbare loquar coincidentiae parum refert: non semel eodem usus est Propertius exemplis simillimis difficilioribus tamen quorum ambiguitas augeatur admissio zeugmatis artificio: III 19, 21 *tuque o Minoa venundata Scylla figura, | tondens purpurea regna paterna coma*: Scylla cum purpuream patris comam tondet regnum paternum delet: I 13, 17 *et cupere optatis animam deponere verbis* h. e. animam deponere optata verba dicentem; II 8, 37 *ut postquam sera captiva est reddita poena* i. e. cum captiva reddita est sera poena est soluta.

aliter se habere puto 112 *seu nympha perenni | edit humum* *limo furtimque obstantia mollit*. poetae si simpliciter loqui libuisset nec nympham ille nec limum praedicare debebat *perennem*. poterat erosionem quae perennat ubicumque nympha sub terris latet: Tib. I 4, 18 *longa dies molli saxa peredit aqua* Stat. Th. VII 811 *evedit seu putre solum carpsitque terendo | unda latens*. sensus ablativi liquet: solum aquis exesum in limum putrescit. est profecto liberius dicendi genus quod intellegatur expeditius quam certum in grammatices ordinem adgregetur.

383 *magnis operata rapinis | flamma micat latosque ruens exundat in agros*: fervidum amnem ex crateribus undantem Graeci *ῥύακα*² vocabant; Latini quibus talis appellatio deesset patrii sermonis egestati subvenire varie laborabant. qui cum lapidem molarem ceteramque materiem igne fluere crederent

¹ de hoc praepositionis usu cf. Beiträge zur Erkl. des Ged. Aetna p. 7, 13.

² Lavastrom, cf. Griech. Stud. f. H. Lipsius p. 52 sqq. ubi vocabuli *ῥύαξ* usum enarravi.

(Aetn. 513) non raro *flumen* et quae sunt similis notiois scripta reperiuntur; Aetn. 484 *liquor ille magis fervere magisque | fluminis in speciem mitis . . .* 498 *flumina consistunt ripis* 513 *favillae | flumina proprietate simul concreescere* 494 *ingeminant fluctus* Apul. De mundo 34 *flammarum fluenta . . . quasi duo flumina . . .* Aetn. 490. *solumque | ipsum adiutat opes facilesque sibi induit amnis* Claud. R. Pr. I 172 *quo fonte ruit Vulcanius amnis?*¹ sic Graeci poetae ποταμούς πυρός, Ἀφαιστοίο κρουνοὺς finxerunt; e scriptoribus stoicus ille qui libellum περὶ κόσμου composuit χειμάρρου δίκην deferri ῥύακα dixit (400 a 31 sqq.). hoc latine reddidit Apul. l. l. *quondam effusis crateribus divino incendio per declivia torrentis vice flammaram flumina cucurrerunt.* Apuleium August. Civ. Dei IV 2 exscripsit, hunc sequitur verbis paulum immutatis Orosius V 6 *qui <ignes> torrentum modo per prona praecipites 13 torrentibus igneis superfusis lateque circumfluentibus.* sed multo prius Lucanus eodem vocabulo rivum igneum descripserat audacius ille quidem ut poeta: *torrens in campos defluit Aetna* (VI 294); hunc respiciens Sil. XIV 62: *flammarum exundat torrens.*

alia comparatione Verg. G. I 471 *quotiens Cyclopum effervere in agros | vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam | flammaramque globos liquefactaque volvere saxa* (ad quae Servius: 'undantem' autem undae modo flammam vomentem) Lucan. V 99 *ceu Siculus flammis urgentibus Aetnam | undat apex* Stat. Th. III 596 *exundant apices* Sil. XIV 62 *flammarum exundat torrens* Aetn. 384 *flamma micat latosque ruens exundat in agros* 486 *<liquor> pronis² dimittit collibus undas* 494 *<amnis> stantibus increpat undis* 608 *evecta in longum lapidis fervoribus unda.*

Graecis Vulcanius amnis non ῥύαξ tantum audiebat sed et φλόξ vel φλόγες: Pind. P. I 43 φοίνισσα κυλινδομένα φλόξ Con. Narr. 43 οἱ τε Αἴτνης τοῦ πυρός κρατήρες ἀνέβλυσάν ποτε ποταμοῦ δίκην φλόγα κατὰ τῆς χώρας . . . καὶ τοὺς μὲν ἄλλους ἢ φλόξ ἐπικαταλαβοῦσα ἐφθειρεν, αὐτοὺς δὲ περὶ ἐσχίσθη τὸ πῦρ καὶ ὡσπερ νῆσος ἐν τῇ φλογὶ πᾶς ὁ περὶ αὐτοὺς χώρος ἐγένετο (περὶ ἐσχίσθη Sudhaus) De mundo 400 a 31

¹ de fluviis pulvereis quos Cassiod. Var. IV 50, 5 commemorat cf. Humboldt, K. I 150: eine durch Reibung zu Staub zerfallene Lava.

² *prumis* C. *primis* ideo displicet quod inaequalia sunt non culta solum inferioris regionis (493. 611 sq.) sed etiam desertae vasta, tota omnino montis superficies. cf. Sen. Ben. VI 37, 1 ut *Aetna immensam ignium vim . . . praecipitet* Oros. V 6 *<ignes> per prona praecipites.*

φλόγες . . . ἐκ γῆς ἀναβλύσασαι καὶ ἐκφυσήσασαι καθάπερ τῶν ἐν Αἴτνῃ κρατήρων ἀναρραγόντων καὶ ἀνὰ τὴν γῆν φερόμενων χειμάρρου δίκην Aelian. ap. Stob. Flor. 69, 38 τοὺς ἑαυτῶν πατέρας ἀράμενοι διὰ μέσης τῆς φλογὸς ἐκόμισαν Paus. X 28, 4 καταλαμβάνει σφᾶς τὸ πῦρ ἐπειγόμενον τῇ φλογί . . . neque vero constabat usus: Straboni certe ῥύακες et φλόγες discernuntur p. 274 τοῦ πυρὸς . . . τοτὲ μὲν ῥύακας ἀναπέμποντος τοτὲ δὲ φλόγας καὶ λιγνύς . . . erant praeterea qui flammeam esse prolutionem Aetnaeam prorsus negarent: Mir. ausc. c. 38 τὸν δ' ἐν τῇ Αἴτνῃ ῥύακα οὔτε φλογώδη φασὶν οὔτε συνεχῆ . . . Aetnae poetam a contraria parte stare verba declarant ipsius 499 *flammea massis | exurit facies*. Latini *flamma* vel *flammis* interdum flammarum fluentia significari voluerunt; sed in hac potissimum quaestione cavendum est ne nimis premantur verba poetarum qui concessa frui libertate quam scientia rerum duci nonnumquam maluerint. missis igitur qui de flammis Vesevis Aetnaeisve in caelum elatis similisque notae portentis verba faciunt ut Verg. A. III 574 Pan. Mess. 196 Ov. M. V 353 Tr. V 2, 75 P. II 10, 23 Ib. 596 Sen. H. O. 1361 Phoen. 314 Lucan. I 546 X 447 Petr. 122, 135 Val. Fl. IV 508 Stat. Th. V 50 XII 275 A. I 490 Sil. XIV 64. 67 Claud. R. Pr. I 170 aliis cautius a scriptoribus initium fiet. ac certum quidem testimonium Livianum illud fragmentum praestat a Servio ad G. I 471 citatum: *tanta flamma . . . ex Aetna monte deflavit ut non tantum vicinae urbes, sed etiam Regina civitas afflaretur*. haec dubium non est quin ad ignium illam effusionem pertineant quacum simul cineres egeri lateque per aera differri solent (Sil. XVII 594). idem profluvium ex Vesuvio ruptum respicit Vit. II 6, 2 *inde evomuisse circa agros flammam*: ne hoc quidem ambiguum fluminis ferventis indicium. de piis fratribus Sen. Ben. III 37, 2 *discessisse creditum est ignes et utrimque flamma recedente limitem adaperit per quem transcurrerent iuvenes* Claud. C. m. 17, 3 *iusta quibus rapidae cessit reverentia flammae* 47 *non potuit pietas flamma cessante probari*. ex Aetna huc cadunt 383 *magis operata rapinis | flamma micat latosque ruens exundat in agros* 460 *(saxum)* . . . *certainque venturae praemittit pignora flammae*. consulto praetermisi Lucr. VI 680 *nunc tamen illa modis quibus irritata repente | flamma foras vastis Aetnae fornacibus efflet | expediam*: sane quidem illa flamma potest intellegi ῥύαξ ὁ ἐν Σικελίᾳ de quo singulari libello Theophrastus egerat (I. aert. Diog. V 2, 49); sed haud scio an poeta rationem potius

universam incendiorum in animo habuerit quam expediturum sese promiserit vv. 639 sqq.: *ratio quae sit per fauces montis ut Aetnae | expirent ignes.* v. 699 de singulis eiectionis loquitur: *extollere flammam | saxaque subiectare et arenae tollere nimbos;* in his *flamma* fortasse designat *ignes* quales Aetn. 360 memorantur (cf. infra). eruptionis calamitates indicantur vv. 641 sqq. *neque enim mediocri clade coorta | flammae tempestas Siculum dominata per agros | finitimis ad se convertit gentibus ora.* his praecipue ῥύαξ respicitur quam *volucrem cladem* Apuleius l. 1. perhibet (Claud. C. m. 17, 48 *ingenti clade*). plurali sic utitur Verg. G. I 471 *quotiens Cyclopum effervere in agros | vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam | flammaramque globos lique factaque volvere saxa: flammaram globos* poetae condonabimus sed *volvere* fluminis est quod et ipsum volvitur: Pind. P. I 43 φοίνισσα κολινδομένα φλόξ Aetn. 493 *utpote inaequalis volvens perpascitur agros* coll. 200 Sen. Phoen. 315 *igneos volvens globos* Stat. Silv. IV 4, 79 v. infra. Aetn. 524 (*lapis molaris*) *seu forte madentes | effluit in flammam* (cf. Beiträge . . . p. 3) 635 *erubescere pios iuvenes attingere flammae | et quaecumque ferunt illi vestigia cedunt: flammam* dici fluminis circa vicus oppidi discurrentis patet coll. Con. Narr. 43 αὐτοὺς δὲ πέρι ἐσχίσθη τὸ πῦρ Lyc. Leocr. 98 p. 160 λέγεται γὰρ κύκλω τὸν τόπον ἐκείνον περιρρεῦσαι τὸ πῦρ Paus. X 28, 4 διχῆι σχισθῆναι λέγεται τὸν ῥύακα Philostr. Apoll. V 17 χώρος δ' εὐσεβῶν περὶ οὗς τὸ πῦρ ἔρρη De mundo 400a 31 Apul. l. 1. 34 Sol. p. 50, 16 M. *iuvenes duo sublato parentes evexerunt inter flammam illaesi ignibus.*

ῥύαξ Graecis et flumen igneum ex montis visceribus effusum denotabat et massam fervidam ex qua flumen illud concreverat (Lava, cf. Roth, Vesuv p. 46. 50): Diod. V 6 καὶ πολλοῦ κατὰ τὴν χώραν ῥύακος ἐκχυθέντος. hoc voluit opinor Lucan. V 99 *Siculus flammis urgentibus Aetnam | undat apex:* reapse massis sursum evectoribus *urgentibus* montis viscera donec nimia surgentis 'magmatis' pressura victa dissiliunt exitumque praebent undis exaestuantibus. perinde ac nos Lucanum Bembus interpretatus est in *Aetna dialogo* (Aetna rec. Gorallus 1703 p. 216): *quicquid in Aetnae matris utero coalescit, nunquam¹ exit ex cratere superiore, quod vel eo inscendere gravis materia non queat, vel quia inferius alia spiramenta sunt, non fit opus. Despumant flammis urgentibus ignei rivi pigro fluxu totas delambentes plagas, et in lapidem indurescunt.*

¹ hic error est; cf. Sartorius-Lasaulx, Aetna I 235. 239. 259 sq.

πῦρ interdum Graecis massas illas effluas indicat: Pind. P. I 40 τὰς ἐρεύγονται μὲν ἀπλάτου πυρὸς ἀγνόταται ἐκ μυχῶν παγαί Aesch. Prom. 367 ἔνθεν ἐκραγήσονται ποτε | ποταμοὶ πυρὸς . . . Thuc. III 116 ἔρρη . . . ὁ ῥύαξ τοῦ πυρὸς ἐκ τῆς Αἴτνης Lyc. Leocr. 98 p. 160 λέγεται γὰρ κύκλῳ τὸν τόπον ἐκείνον περιρρεῦσα τὸ πῦρ Con. Narr. 43 αὐτοὺς δὲ περὶ ἐσχίσθη τὸ πῦρ Paus. X 28, 4 ἠνίκα ἐπέρρει τῇ Κατάνη πῦρ τὸ ἐκ τῆς Αἴτνης . . . σὺν δὲ αὐτοῖς τοὺς γονέας τὸ πῦρ . . . παρεξήλθεν Philostr. Apoll. V 17 χώρος δ' εὖσεβῶν περὶ οὗς τὸ πῦρ ἔρρη Aelian. ap. Stob. Flor. 69, 38 τὸ γὰρ τοι πῦρ . . . διέστη Hermog. De inv. 2, 2 p. 191, 20 Sp. ἡ Αἴτνη, καὶ ὡς πυρὸς ἔχει ῥύακας Marm. Par. I. 67 καὶ τὸ πῦρ ἔρρη κάον ἐν Σικελίᾳ περὶ τὴν Αἴτνην Schol. Aesch. Prom. 372 ποταμοὺς δὲ πυρὸς τοὺς . . . ῥύακάς φησι . . . Lemm. cod. Palat. (cf. Wernsdorf, PLM. IV 372) διὰ τοῦ πυρὸς οὐδὲν ἕτερον ἢ τοὺς ἑαυτῶν γονέας βαστάσαντες ἔσωσαν. sed de Graecorum usu haec sat superque: Latini non aliter *ignem* vel *ignes* dixerunt cum molarem excoctum et effusis crateribus profluentem significare voluerunt: Val. Max. V 4 ext. 4 *patrem et matrem humeris per medios ignes Aetnae portarunt* Hygin. Fab. 254 *Damon matrem suam ex igne rapuit, Phintias patrem* nota rerum confusione Solin. p. 50, 16 *M iuvenes duo . . . illaesi ignibus* Oros. II 18 *exaestuantibus Aetnae montis ignibus favillisque calidis* Sil. XIV 65 *adsidue subnascens profluat ignis Aetn. 622 cunctantis vorat ignis 638 fertur | ille per obliquos ignis fraterque triumphans (fertur coni. Buecheler, Rh. M. LIV 6) 641 circa geminos avidus sibi temperat ignis. neque minus constat ignibus irriguis (28) aut curvis seu tortis . . . ignibus (488) fluvium Aetnaeum describi. hic illic residet scrupulus cum Vulcanius ignis latiore sententia possit accipi velut Cic. N. D. II 38, 1 *eruptione Aetnaeorum ignium* Iustin. IV 1 identidem Aetn. 1 *ruptique cavis fornacibus ignes 448 posceret ignes. in vv. 203. 360. 464 ignes* qui dicuntur nisi fallor vapores sunt igneo splendore collucentes (Sudhaus recte: Feuergarben, Feuererscheinungen; de re controversa cf. Humboldt, K. I 150. IV 406 Bunsen, Poggend. Ann. LXXX 249. 253). huc fortasse pertinent Lucr. VI 699 *extollere flammam* Iustin. I. I. *nunc flammam, nunc vaporem, nunc fumum eructet. Aetn. 93 novos . . . ignes* de lapidis molaris copiis subnascentibus et in dies inexhaustis interpretor coll. Claud. R. Pr. I 156 *inexhaustum . . . sulphur.**

incendii vocabulo tam eruptio designatur quam eruptionis singula phaenomena: Iustin. IV 1 *Aetnae montis . . . durat in-*

celandium . . . veluti ipsis undis alatur incendium Serv. ad Verg. A. III 571 *causa huius incendii . . . vomit incendia* h. e., ut Ciceronis verbis utar, ignes ex Aetnae vertice erumpunt. Stat. Silv. II 6, 61 *si vel fumante ruina | ructassent diles Vesuina incendia* Locroe Aetn. 189. 212. 220. 386. 401. 417. 556. 568. semel *incendium* idem est quod nos inde a temporibus Hispanorum navigatorum *vulcani* nomine declarare consuevimus (Humboldt, K. IV 479): Aetn. 441 *pars tamen incendi maior refrigit*: der grössere Theil des Feuerherdes ist erkaltet. alibi *massae ferventes* intelleguntur: 202 *nunc fusca pallent incendia mixta ruina* 467 *nam subito effervent onerosa incendia raptis*. aliter sese res habet cum *volvendi* verbum adiungitur vel cognominatum: 2 *et quae tam fortes volvant incendia causae* Stat. Silv. IV 4, 79 *Vesuius . . . aemula Trinacriis volvens incendia flammis* Sen. Ben. III 37, 2 *cum Aetna . . . effudisset incendium* Solin. l. l. *Catinensis . . . regio . . . in quam se cum Aetnae incendia protulissent . . .* Aetn. 624 *nullis parsura incendia pascunt* in quibus progrediendi vim inesse comparatio demonstrat a gregibus per pascua dispa-lantibus sumpta (cf. 493) 627 *cum iam vicinis streperent incendia tectis* i. e. flammarum undae cum ad vicinas iam insulas processissent. his testimoniis rivus Vulcanius ὁ ῥύαξ τοῦ πυρός perspicue notatur nec minus certa praebent indicia Claud. C. m. 17, 9 *nonne vides ut saeva senex incendia monstret* Aetn. 638 *dextra saeva tenet laevaque incendia* 'id est Pietas coercet ignes prohibetque ab iuvenum itinere' Buecheler l. l.

474 *haud aliter quam cum laeto devicta tropaeo | prona iacet campis acies et castra sub ipsa*: cur *laetâ victoriâ* devicta dicitur acies? solet esse victoria laeta scilicet victoribus, fienda devictis. poeta nonne disertis verbis affirmat quae supervacanea et inutilia videantur? dissentientibus editoribus hanc ego certaminis imaginem cogitatione finxi: legio aliqua in castris oppugnatur. haec acie pro castris instructa retundere impetum frustra conitur. sternitur atque prona iacet in campis et sub ipsa castra cum victores exsultent triumpho tropaeumque struant. quam tropaei mentionem non sine causa factam puto. meminit enim poeta colles illos innumeros lapidum egestorum congerie sublato in altitudinem non mediocrem quos accolae 'filios Aetnae' vocitant. talis instar tropaei supereminet campos eiectionis tamquam strage completos. ablativum *laeto tropaeo* si vis instrumentalem accipere non obloquor; seu liberiori absolutorum gregi mavis adscribere per me licet fiat: *inconditum* dixerim ut

poeta planetas in v. 234. simile pressae et obscurae brevitatis exemplum ex Astronomicis afferre licet I 28 *quis foret humano conatus pectore tantum | invitis ut dis cuperet deus ipse videri?* coll. 717 *inquiruntque sacras humano pectore causas*: grammaticae id genus ablativum instrumenti vicem obtinere docet sed plus voluit poeta: 'tu cum sis humano pectore, angusto nimirum atque debili praeditus tantum conaris?' vel ut idem aliter expediam: 'in tantis humani pectoris angustiis tantum conaris?' sic Claud. Manl. Theod. 81 *parturit innumeros angusto pectore mundos*. quantum uno casu comprehendi possit idem Manilius qui dicitur luculento nobis exemplo monstrat I 513 *saecula dinumerare piget quotiensque recurrens | lustrarit mundum vario sol igneus orbe*: vario orbe si intellegas quasi sit dictum orbe variante grammaticae fortasse satisfeceris, poetae non item; qui quid in mente habuerit lectis demum eis percipitur quae subsequuntur: *omnia mortali mutantur lege creata | nec se cognoscunt terrae vertentibus annis | et mutant variam faciem per saecula gentes . . .* consideres insuper V 615 *solvitque haerentem vinculis de rupe puellam | desponsam, pugna nupturam dote mariti*: Andromeda ita nuptura fuit ut pugna pro dote marito obtingeret vel ita nuptura ut maritus in pugna dotem acciperet vel ut marito pugna dos esset. haec exempla non eam ob causam profero quod plane esse eiusdem generis atque Aetnae locum existimem; sed longus fui in rebus subtilioribus ut ignotum poetam non singulari licentia demonstrarem evagari¹.

476 *stipsum si quis lapidum summo pertabuit igni . . .* poeta quid dicturus fuerit ex eis colligendum est quae contraponuntur. lapis igitur molaris ubi deciduis obrutus saxis velut in fornace torretur insito humore exuitur (479 sqq.). congeries enim illa caducis saxis sublata fornacis vice fungitur. hinc sequitur ut in v. 476 describendum fuerit quomodo lapis ille molaris sese habeat ubi nulla saxorum egestorum congerie tectus patenti caelo ignescat. quod ut dilucidum fieret ablativum *summo . . . igni* positum suspicor. ignis autem per enallagen² *summus* dicitur ut-

¹ ne hoc quidem indignum memoratu videtur ablativi causalis qui saepe reperitur in Aetna (cf. Beiträge . . . p. 6) licentioris audaciae nullum exstare documentum. non ausus est poeta qualia Manilius ut III 10 *lacerum fratrem stupro* h. e. fratrem laceratum ne Medea incestae cupidinis poenas lueret.

² huic figurae quantumvis poeta studeat (cf. Beiträge . . . p. 1 sqq.)

pote qui lapides consumat *summos* h. e. patentes ad caelum cum aliis lapidibus non obruti supra ceteros iaceant. constat eas animas quas ora craterum continent *summas causas* vocari (158) oppositis eis quae *penitus* vel in profundo concrecant (283); quae vires cum faucibus vagentur *summis* ipsae *summae* sunt. item Man. IV 162 *cancer ad ardentem fulgens in cardine metam | qua Phoebus summis revocatus curribus ambit: summus* proprio intellectu cardo; quem cum Phoebi currus evectus sit ipse summus dici potest.

489 *villa tenet frustra moles* audi *profluentes ruptis crateribus* (Lavamassen): sic Birt l. l. p. 635 emendari iussit quae traduntur *nulla tenet frustra moles*. quam coniecturam admodum mihi placere fateor coll. Oros. II 18 *gravissimo motu terrae concussa Sicilia, insuper exaestuantibus Aetnae montis ignibus favillisque calidis, cum detrimento plurimo agrorum villarumque vastata est*.

552 *candenti pressoque agedum fornace coerce*: sic versus legitur ab editoribus qui subiectum audiri volunt *lapidem molarem*. at *fornacæ* feminini generis esse solet. novimus *fornacem aerariam* et *calcariam* quam etiam omisso nomine *calcariam aerariamve* dicebant; *Fornacem* deam factam Ovidius testatur (Fast. II 525). accedit quod *coerceri* aptius dicitur ignis quam lapis; ignis enim natura vagus, lapis non item. *pressoque* auctoritate caret idonea cum C *pressosq*; exhibeat; quo restituto versus efficitur hic: *candenti pressosque agedum fornace coerce* quem sic interpretor: 'coerce ignes (e v. 551) candenti fornace et eos quidem pressos i. e. fornace ita clausa ut ignibus evagandi nulla potestas relinquatur'. qui sequitur versiculus ad lapidem molarem respicit: *nec sufferre potest nec saevum durat in hostem*.

alio sensu 447 *pressove canali* dictum reor. *premitur* quod ad imum deducitur, ut *premebant pollicem* ludi spectatores cum gladiatorem ad supplicium deposcerent, ut *premere* cursum fossam sulcum alia dicebant; adde Lucan. V 86 *quod numen ab aethere pressum | dignatur caecas inclusum habitare cavernas?* Col. II 47 *ut olivæ premantur et ius supermineat*. hinc *pressum* intellego canalem qui deductus ad ima terrae vel per terrae profundum

audacia tamen Manilio cedit. non sibi permisit quod ille V 553 *et cruce virginea moritura puella pependit*: Andromeda iniusti iussu Hammonis virgo moritura erat; quod ne fieret Persei virtus intercessit virgineum eius pudorem (554) etiam Ov. M. IV 680 sqq. laudat.

actus ventis inter Aetnam Liparasque commeandi facultatem praebeat.

617 *colligit ille arma et stulta cervice reponit, | defectum raptis illum sua carmina tardant: arma non esse bellica sed domestica, cotidianae vitae suppellectilem apparatusque, omnes denique res ad vitam fugitivo sustentandam idoneas mihi quidem liquere fateor: arripiunt ὃ τί τις βούλοιο ἐπικούρημα τῆς φύγῆς* ut ait Conon l. l. — de v. 618 in dubio res relinquitur. poetam cogitant versiculos suos anxia cura conquirentem quod ab ingenio huius loci non unam ob causam alienum iudico. *carmina* cum Munrone dico magica vel incantamenta sanctas naturae leges invertere valentia qualia sagae declamitabant (Hor. Ep. 17, 4 Ov. Am. III 7, 29). de Medea Ov. Her. VI 83 sqq. 87 *nec facie meritivae placet sed carmina novit . . . illa refrenat aquas obliquaque flumina sistit* M. VII 199 *cum volui ripis mirantibus amnes | in fontes rediere suos.* eadem quae (Val. Fl. VI 443) *mutat agros fluviumque vias* simulatque per opaca silentia coepit ire cum . . . *suis averti collibus amnes* miramur (VII 391). Megaera Rufinum in cladem generis humani stimulatura pari facultate gloriatur: *versaue non prono curvavi flumina lapsu | in fontes reditura suos* (Claud. Ruf. I 159). de sagae suae viribus Tib. I 2, 44 *fluminis haec rapidi carmine vertit iter.* Erichtho quae superos carmine flectere possit (Lucan. VI 527) dubium non est quin fluvios in caput vertere didicerit ut Thessala (ib. 473). iam cum amnis ille fervidus in urbem deflueret quid mirum si quis hunc quoque *cantato carmine* (Ov. M. XIV 369) sistere conatus sit? eodem fortasse quo Circe ritu *ter noviens carmen magico demurmurat ore* (ib. 58) deceptus ille quidem spe cum imminente periculo satius sit in fugam se dare quam vana superstitione tardari. ceterum observes pronominis similitudinem in eis verbis quibus Circe fidere se suis artibus profitetur (ib. 357): *nec me mea carmina fallunt.* hunc Catinensem civem sua profecto fefellere, nam Aetnaea sistere fluentia nulla hominum evaluit unquam superstitione: sufficit Pietas (640) cuius numine teneri volucrum cladem et a fratrum itinere prohiberi Buecheler nos docuit.

Lipsiae.

R. Hildebrandt.